

idem corpus numero quod habuit; quia semper alia materia sibi adderetur, vel aliquid de antiqua sibi subtraheretur; nisi in casu raro contingente, scilicet ubi corpus cinerum esset simile et æqualis quantitatis et figure. Utrum autem illud quod dicit Durandus de rarefactione et condensatione, contradicat aliis dictis ejusdem, — non est curandum ad presens. Item, cum dicit Petrus, quod in materia cinerum conversorum in aerem communicabitur forma antiqua residui aeris, *et non generabitur nova*, — non valet, et fundatur in quodam falso, quod qualibet forma substantialis sit tota in toto, et tota in qualibet parte, eadem numero secundum essentiam: hoc enim verum est de sola anima rationali. Item, quod dicit Philosophum sensisse, quod actus non (z) recipitur nisi in potentia disposita, etc., — parum valet: inter materiam enim et suam formam substantialem, secundum quod dat primam perfectionem et infimam, nihil est medium, ut supra dictum fuit. Item, cum dicit quod materia per sui essentiam est disposita ad omnem formam quam agens potest inducere, — falsum est uno modo; licet alio modo possit concedi, ut dictum fuit in solutione primi argumenti Aureoli contra secundam conclusionem diffuse.

§ 4. — AD ARGUMENTA CONTRA QUARTAM
CONCLUSIONEM

Ad argumentum Durandi. — Ad objecta Durandi contra quartam conclusionem, respondet Petrus de Palude (dist. 43, q. 4): « Probabilius videtur quod omnes simul in ictu oculi in novissima tuba resurgent. Et ideo ad primum dicendum est quod illi qui reperiuntur vivi, moriuntur in raptu quia rapti (z), et parum in morte detenti, et prope illum raptum; quod autem prope est, nihil differre videtur, 2. *Physicorum* (l. c. 56). Et ad argumentum, dicendum quod mortui qui in Christo sunt, id est, in fide Christi formata mortui sunt, resurgent primi primitate dignitatis, quia in resurrectionem vite, respectu malorum, qui resurgent in resurrectionem iudicii; unde dicit: *Mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi; deinde nos simul rapiemur*, etc. » — Hæc Petrus.

Nicolaus vero de Lyra, in sua *Postilla*, exponens illam auctoritatem Apostoli, sic dicit: « Ista prioritas et posterioritas non potest referri ad actum resurgendi, ita quod aliqui resurgant prius aliis prioritate temporis: nam omnes resurgent in eodem instanti, secundum quod dicitur, 1. *Corinth.* 15 (v. 51), *Omnes quidem resurgemus*; et subditur (v. 52), *In momento, in ictu oculi*, etc. Nec potest hic accipi prioritas dignitatis: quia Patres veteris testamenti

in resurrectione non erunt digniores Apostolis, qui erunt assessores iudicis, Matth. 19 (v. 28), *Sedebitis super sedes duodecim*, etc.; de quibus dicit hic Apostolus (1. *Thessal.* 4; v. 16), *Deinde nos*, etc. Propter quod, salvo meliori iudicio, videtur mihi quod ista prioritas et posterioritas sit referenda ad quietem in Christo per bonam mortem, sic jungendo litteram: *Et mortui qui in Christo sunt*, id est (z), requiescent, in ejus fide mortui, *primi*, respectu nostri qui adhuc vivimus, *resurgent cum posteris; deinde nos qui vivimus* (supple: quiescemus in Christo, in ejus fide moriendo), *et simul rapiemur cum illis*, jam resuscitati cum ipsis, *obviam Christo* venienti ad iudicium *in aera*, etc. » — Hæc ille.

Nicolaus vero de Lyra (6), exponens illum locum, sic dicit: « Super hoc est duplex opinio. Quidam dicunt quod primitivi sancti, jam mortui, resurgent prius tempore quam ultimi, qui tunc invenientur vivi. Ad illud Apostoli, respondent quod resurrectio singulorum erit in momento, non tamen omnium simul. Alii dicunt quod primitivi sancti resurgent prius dignitate quam ultimi. Et ad objectum, dicunt quod Apostolus loquitur hic in persona cõm qui in fine vivi invenientur, non in persona sua; sed nunquam aliquis sanctorum ultimarum dignior erit aliquo primitivorum. » — Hæc ille.

Ad argumentum contra questionem, respondet sanctus Thomas, dist. 43, q. 1, art. 3, q^{da} 3, in solutione quarti, dicens quod « congregatio cinerum, quæ sine motu locali esse non potest, fiet ministerio angelorum; et ideo erit in tempore, sed imperceptibili, propter facilitatem operandi quæ competit angelis ». — Hæc ille.

Et hæc de questione dicta sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XLIV.

QUÆSTIO I.

UTRUM IN RESURRECTIONE ANIMA RESUMAT IDEM CORPUS NUMERO QUOD PRIUS HABUIT

QUÆSTIO quadragesimam quartam distinctionem, primo quaeritur: Utrum in resurrectione anima resumat idem corpus numero, quod prius habuit

Et arguitur quod non. Quia corpus humanum per

(z) id est. — Om. Pr.

(6) Expositio textus S. Pauli immediate precedens utique a Nicolao de Lyra datur; hæc vero secunda falso ei attribui videtur, in *Postilla* quæ non reperitur.

(x) non. — Om. Pr.

(z) rapti. — *rapti* Pr.

corruptionem (α) usque ad elementa resolvitur. Sed illae partes elementorum, in quas corpus humanum resolutum est, non conveniunt cum corpore humano, quod in eas resolutum est, nisi in materia prima; quo modo quolibet aliae partes elementorum cum predicto corpore conveniunt. Si autem ex aliis partibus elementorum corpus formaretur, non diceretur idem numero. Ergo nec si ex illis partibus corpus reperietur, erit idem numero.

In oppositum arguitur. Quia, sicut dicit Damascenus (*de Fid. Ort.*), lib. 4 (cap. 27): *Resurrectio est ejus quod cecidit secundaurrectio* (β). Sed hoc corpus quod nunc gerimus, per mortem cecidit. Ergo idem numero resurget.

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod ad veritatem resurrectionis requiritur quod anima resumat idem corpus numero, quod prius habuit.

Hanc ponit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 44, q. 1, art. 1, in solutione primae quaestionculae, ubi, recitatis diversis erroribus, finaliter sic concludit: « Predicti errores haereticorum destrui possunt ex hoc quod veritati resurrectionis praedjudicant, quam Sacra Scriptura profitetur. Non enim resurrectio dici potest, nisi anima ad idem corpus redeat: quia resurrectio est iterata surrectio; ejusdem autem est surgere et cadere; unde resurrectio magis respicit corpus, quod post mortem cadit, quam animam, quae post mortem vivit; et ita, si non est idem corpus quod anima resumat, non dicitur resurrectio, sed magis novi corporis assumptio. » — Haec ille.

Item (ibid., arg. Sed contra): « Job 19 (v. 26), dicitur: *In carne mea videbo Deum Salvatorem meum*. Loquitur autem de visione post resurrectionem; quod patet ex hoc quod praecedit (v. 25): *In novissimo die de terra surrecturus sum*. Ergo idem numero corpus resurget. »

Secunda conclusio est quod ad identitatem resurgentis requiritur quod habeat eandem materiam numero quam prius habuit.

Hanc ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 44, q. 1), art. 1, in solutione tertiae quaestionculae, qua

(α) corruptionem. — incorruptionem Pr.
(β) surrectio. — resurrectio Pr.

querit: Utrum oporteat (α) pulveres humani corporis ad eandem partem corporis quae in eis (β) dissoluta est, redire. Ubi sic dicit: « In hac questione debet considerari quid fieri possit sine identitatis praedjudicio, et quid fiet, ut congruentia servetur. Quantum ergo ad primum, sciendum est quod in homine possunt accipi diversae partes totius dupliciter: uno modo, diversae partes homogenei, sicut diversae (γ) partes carnis, vel diversae partes ossis; alio modo, diversae partes diversarum specierum totius heterogenei, scilicet os et caro (δ). Si ergo dicatur quod pars materiae redibit ad aliam partem ejusdem speciei, hoc non faciet varietatem nisi in situ partium. Situs autem partium variatus non variat speciem in totis homogeneis. Et sic, si materia unius partis redeat ad aliam, nullum praedjudicium generabitur identitati totius. Et ita est etiam in exemplo quod ponitur in littera, quod statua non redit eadem numero secundum formam, sed secundum materiam; sic autem statua est homogenea, quamvis non secundum formam accidentalem. Si autem dicatur quod materia unius partis redit ad aliam partem alterius speciei, sic de necessitate non solum variatur situs partium, sed etiam identitas ipsarum: ita tamen, si tota materia, aut aliquid quod erat de veritate humane naturae in una, in aliam transferatur; non autem si aliquid quod erat in una parte superfluum, transferatur in aliam. Ablata autem identitate partium, auferetur identitas totius, si loquamur de partibus essentialibus; non autem si loquamur de partibus accidentalibus, sicut sunt capilli et ungues, de quibus videtur loqui Augustinus (*Enchirid.*, cap. 89). Et sic patet qualiter translatio materiae de parte in partem tollit identitatem totius, et qualiter non. Sed, loquendo secundum congruentiam, magis probabile est quod etiam situs partium idem reservabitur in resurrectione, praecipue quantum ad partes essentielles et organicas, quamvis forte non quantum ad partes accidentales, sicut sunt ungues et capilli. » — Haec ille.

Simile dicit in solutione ad tertium primae quaestionculae.

Tertia conclusio est quod, si anima Petri informaret corpus vel materiam corporis Pauli, non esset idem Petrus qui prius.

Haec conclusio potest haberi ex dictis sancti Thomae, undecimo *Quodlibeto*, q. 6, ubi sic dicit: « Ad hoc quod aliquid sit idem numero, requiritur identitas principiorum essentialium. Unde, quodcumque principiorum essentialium in ipso individuo varietur, necesse est identitatem numeralem ipsius individui variari. Cujuslibet autem rei essentialia

(α) oporteat. — organizat Pr.

(β) eis. — eas Pr.

(γ) a verbo partes usque ad diversae, om. Pr.

(δ) caro. — carnem Pr.

sunt materia et forma. Unde, si accidentia varientur et mutantur, remanentibus principiis essentialibus individui, ipsum individuum remanet idem. Cum ergo principia essentialia hominis sint anima et corpus, et hæc remaneant, quia (α) resurget eadem anima et idem corpus, dicendum est quod corpora hominum resurgent eadem numero. » — Hæc ille.

Item, 2. *Contra Gentiles*, cap. 83, sic dicit : « Quod autem impossibile sit unam animam diversis corporibus uniri, sic patet. Animæ enim humanæ non differunt specie ad invicem, sed solo numero: alioquin et homines specie differrent (β). Differentia autem secundum numerum est secundum principia materialia. Oportet ergo diversitatem animarum humanarum secundum aliquid materiale sumi; non autem ita quod ipsius animæ sit materia pars; ostensum est enim supra (cap. 50) quod substantia intellectualis nullam materiam habet. Relinquitur ergo quod, secundum ordinationem ad diversas materias quibus animæ uniuntur, diversitas et pluritas animarum sumitur, eo modo quo supra dictum est. Si ergo sunt diversa corpora, necesse est quod habeant diversas animas sibi unitas. Non ergo una pluribus unitur. — Adhuc : Ostensum est supra (cap. 57) animam uniri corpori sicut formam. Formas autem oportet esse propriis materiis proportionatas; cum se habeant ad invicem sicut potentia et actus; proprius autem actus propriæ potentiæ correspondet. Non ergo una anima pluribus corporibus unitur. » — Hæc ille.

Ex quibus patet multiplex probatio conclusionis.

Et in hoc prius articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Durandi. — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones, potissime contra tertiam. Contra quam arguit Durandus (dist. 44, q. 1), dicens quod cuiuscunque materie anima uniatur in resurrectione, ex quo est eadem forma secundum numerum, per consequens erit idem Petrus secundum numerum. Quod probatur

Primo sic, ex natura materie. Secundum Philosophum, 7. *Metaphysicæ* (l. c. 8), materia, secundum se, nec est quid, neque quantum, neque quale, nec aliud predicamentorum; nec tamen est nihil, nec negatio, nec privatio; sed est tantum pura potentia, susceptiva formarum corporalium et pri-

vationum. Et ideo dicit beatus Augustinus, 12. *Confessionum* (cap. 3 et 6), quod materia nec est corpus, nec forma, nec aliquid de se formatum; et sic est prope nihil; et tamen non est nihil; sed est aliquid informe, receptivum omnium formarum. Et Commentator, *de Substantia orbis* (cap. 1), dicit quod materia substantiatur per posse. Ex quo patet quod ad intrinsecam naturam materie nulla actualitas omnino pertinet, sed pura potentialitas ad recipiendum quamcumque actualitatem in materia possibilem recipi. Ex hoc arguitur sic : Quando aliquid nullam diversitatem ex se, sed omnem (α) quam habet, vel habere potest, trahit ex alio, non solum effective, sed etiam formaliter, tale debet judicari idem vel diversum ex alio. Sed materia prima, in se et ex se nullam diversitatem habet ad aliam materiam; sed omnem quam habet, vel habere potest, trahit ex alio (β), scilicet ex forma sibi indita, et ex dante formam, ex uno formaliter, et ex alio effective. Ergo materia debet judicari eadem vel diversa solum ex forma sibi indita. Existente ergo eadem forma, omnis materia sibi unita nunc et prius debet judicari eadem; si autem hæc (γ), et compositum. Major de se manifesta est. Minor probatur ex natura materie, quæ est quod materia sit pura potentia, ut statim dictum est. Quia, ex quo materia est pura potentia, de se non habet aliquod esse, sed solum posse esse; sed totum suum esse est a forma; et, per consequens, identitas et diversitas, cum ab eodem habeat quodlibet esse, et esse unum in se, et diversum ab alio. Materia ergo, cum de se nullam habeat entitatem (δ), sed solum potentiam ad entitatem, ex se non habet aliquam diversitatem, sed solum potentiam ad diversitatem. Et hoc est quod dicit Commentator, super 2. *Metaphysicæ*, quod in fundamento nature nihil est distinctum. Vocat autem fundamentum nature materiam primam. Et sic (ε) patet minor. Sequitur ergo conclusio.

Secundo sic. Nisi tota unitas materie et compositi esset a forma, tunc animal quod nutritur, post conversionem alimenti non esset simpliciter idem quod prius, etiam (ζ) quoad essentiam. Consequens est falsum. Ergo et antecedens. Falsitas consequentis patet per Damascenum (*de Fid. Orth.*), lib. 4, cap. 13, ubi dicit quod panis et vinum et aqua in corpus et sanguinem comedentis transmutantur, nec tamen sit aliud corpus quam primo. Et idem videtur sentire Aristoteles (η), primo de *generatione*. Est etiam ad hoc ratio : quia, si animal

(α) omnem. — oportet quod Pr.

(β) a verbis non solum effective usque ad ex alio om. Pr.

(γ) hæc. — hoc Pr.

(δ) entitatem. — identitatem Pr.

(ε) sic. — Om. Pr.

(ζ) etiam. — et Pr.

(η) Aristoteles. — arguens Pr.

(α) quia. — sequitur quod Pr.

(β) different. — differunt Pr.

esset aliud essentialiter post nutrimentum quam ante, aut esset aliud secundum se (α) totum, aut secundum partem solam. Non secundum se totum, ut de se patet: tunc enim in omni nutritione esset nova generatio: quod est falsum. Nec secundum partem: quia, aut secundum formam, aut secundum materiam. Non secundum formam: quia, ut dicitur in 1. de Generatione (l. c. 39 et seq.), in hoc differt nutritio a generatione, quod in nutritione non accipit materia novam formam quae prius non fuit, sed sit solum sub forma quae prius exsistit; in generatione autem accipit materia novam formam, quae omnino non fuit. Nec secundum materiam: quia, aut secundum totum, aut secundum partem. Non secundum totum: quia materia animalis praexistens non simul tota abjicitur, et alia totaliter nova inducitur, ut de se patet. Nec secundum partem: quia materia non habet de se partem et partem in essentia sua, circumscripta partialitate quantificativa, de qua non loquimur; ergo idem animal penitus quoad substantiam in toto et in parte est ante nutritionem, et post. Et sic patet falsitas consequentis. Probatio consequentiae: quia per nutritionem forma animalis fit de novo in materia alimenti, quae, si de se haberet aliquam unitatem praeter illam quam habet a forma, tunc materia post nutritionem differret a materia ante nutritionem, sicut differt totum a parte, et, per consequens, esset aliud animal, saltem in parte. Patet ergo quod materia de se nullam habet identitatem aut diversitatem, nisi quam habet a forma; et sic, manente eadem forma, erit eadem materia, undecumque veniat; et, per consequens, idem compositum.

Tertio (ε) arguit. Quia rationes partis oppositae non procedunt. Arguunt enim sic quidam, dicentes quod, si anima Petri uniretur materiae, non quam hic habuit, sed illi quam Paulus habuit, non esset homo idem numero simpliciter. Quia, variato uno de illis quae sunt de necessitate ad unitatem compositi, variatur compositum. Sed sic est hic. Ergo, etc. Major ab omnibus conceditur. Probatio minoris, quoad illam partem, quod scilicet unitas compositi dependet non solum ex forma, sed ex forma simul et materia: Quia ab illo habet aliquid unitatem, a quo entitatem. Sed compositum habet entitatem essentialem non solum a forma, sed a forma et materia simul; alias tota entitas et essentia hominis esset in anima separata. Ergo et unitatem essentialem. — Item, probatio quod materia non sit una, unitate suae essentiae, quae est potentia, a forma: Quia unum convertitur cum ente; unde, sicut in materia est triplex entitas, sic et triplex unitas. Est enim in materia primo (γ) potentia quaedam, a solo

Deo effective, et a nullo alio, quomodocumque; secundo, participat a forma esse actuale; tertio a quantitate esse extensum. Primo debetur unitas substantialis potentialis; secundo unitas substantialis actualis; tertio unitas accidentalis, quae est principium numeri. Modo ista ultima numeratur numero quantitatis, cuius est effectus formalis: ita quod illi qui dicunt quod in augmento tota quantitas praexistens corrumpitur, et nova generatur, non possunt salvare quod sit idem quantum puer et senex, licet sit idem homo; et similiter, si in corpore Christi vivo et mortuo resuscitato non esset eadem quantitas numero, non esset idem quantum numero. Sed, quoad secundum, est unitas actualis substantialis a forma substantiali; unde ista est tota a forma substantiali et sola, sicut prima a forma accidentali. Tertia est unitas potentialis, quam habet a se, non ab alio, formaliter, sicut nec entitatem: verbi gratia, in generato et corrupto est una materia numero numerositate essentiali potentiali, non actuali, nec accidentali.

Hanc rationem alii deducunt aliter, dicentes sic: Ab eodem habet aliquid entitatem et unitatem (α) in se, et distinctionem ab alio. Sed materia habet entitatem essentialem non a forma, nec per formam, licet non sine forma. Ergo habet unitatem in se, et distinctionem ab alio, non a forma, nec per formam. Non ergo habet materia totam unitatem et distinctionem a forma, sicut supponunt priores rationes. Probatur minor tripliciter. Primo: quia materia est ingenerabilis et incorruptibilis, ut dicitur, 1. Physicorum (l. c. 82); sed nulla entitas quae sit in materia per formam, vel a forma, est ingenerabilis et incorruptibilis, cum per generationem acquiratur, et per corruptionem amittatur; ergo, etc. Item, secundo: realis compositio est ad minus duorum realiter differentium; sed materia et forma faciunt compositionem essentialem, vel realem; ergo sunt duo realiter distincta; quod non esset, nisi materia secundum se haberet aliquam realem unitatem praeter illam quam habet a forma. Item, tertio: subjectum manet idem sub utroque termino transmutationis; sed materia est subjectum transmutationis quae est a forma in formam; ergo eadem esse materia sub diversis formis; quod non posset esse, si materia haberet totam unitatem suam a forma.

Sed quod istae rationes non concludant, patet. Quia, cum materia de se sit in pura potentia ad esse, ex tali entitate competit ei duplex distinctio: una, qua distinguitur a puro non ente, per hoc quod ipsa est aliquo modo ens; alia, qua distinguitur ab actu, per hoc quod ipsa est potentia. Et de hac duplici distinctione procedit ratio quae probat quod materia habet aliquam entitatem et unitatem

(α) sc. — Om. Pr.

(ε) Hoc argumentum Auctor refert prout reperitur apud Petrum de Palude, dist. 44, q. 1.

(γ) prima. — prima Pr.

(α) entitatem et unitatem. — unitatem et entitatem Pr.

in se, per quam est ingenerata, et incorruptibilis, et alia a forma realiter, et subjectum transmutationis quæ est a forma in formam. Et ad hoc sufficit entitas potentialis solum, et unitas proportionabiliter ei correspondens. Sed de hac non loquimur; sed solum quærimus de distinctione materie a materia, et ejus unitate. Talem autem distinctionem impossibile est invenire in materia secundum se: cum omnis materia sit pura potentia tantum, et per hoc una non potest distinguí ab alia secundum communem rationem potentie, cum in hac conveniant; nec secundum numeralem distinctionem potentie a potentia, quia numerus eorum quæ sunt unius rationis, supponit actualitatem eorum, seu entitatem actualem eorum, qua numerantur, si sunt actu plura; si autem solum possunt esse, et nondum sunt, possunt quidem plura esse secundum numerum, sed nondum sunt. Cum ergo materia non habeat aliquam entitatem actualem secundum se, sed omnem quam habet, habeat per formam et a forma, consequens est quod secundum se non potest habere aliquem numerum, quo distinguatur actu ab alia materia.

Si autem aliquis diceret quod tota distinctio numeralis est quidem per formam vel a forma, sed solum quantum ad fieri, non autem quantum ad conservari, ac per hoc materia quæ est facta per formam diversa numero a quacunque alia materia, semper remanet alia, nec recipit aliam unitatem numeralem sub quacunque forma fiat de novo, sed semper retinet præexistentem, et sic non oportet quod materia quæ fit sub alia forma, sit eadem numero cum omni materia quæ prius fuit sub eadem; — dicendum quod non valet. Quia, licet in causis efficientibus aliquid possit esse causa in fieri, et non in conservari, non tamen in causis formalibus; nihil enim potest esse album sine albedine. Cum ergo forma sit causa entitatis et unitatis materie, per quam una distinguitur ab alia, non efficiens, sed formalis, impossibile est talem distinctionem fieri vel conservari sine forma. Patet ergo quod, remanente eadem forma secundum numerum, quacunque materia adveniat, et undecunque, est idem homo secundum numerum, propter hoc quod tota unitas actualis cujuscunque rei est a forma.

Quarto arguit. Quia, secundum hanc viam, evaduntur multe difficultates quæ sunt circa materiam resurrectionis: sicut est illa de costa Adæ, de qua formatum est corpus mulieris, ut dicitur, *Genes. 2* (v. 21 et 22); et ita illa quæ queritur: si aliquis homo nutriatur (x) ex carnibus alterius hominis, et de superfluo alimenti generetur alius homo, in quo illorum talia resurgent? Secundum enim ea quæ dicta sunt prius, non differt (6) quantum ad unita-

tem numeralem resurgentis, in quo talis materia resurgat; cum ipsa de se nullam habeat unitatem aut pluralitatem, sed omnia ista competunt ei per formam, quæ si est eadem, totum compositum erit idem. — Hæc Durandus.

II. Argumenta Johannis de Neapoli. —

Contra eandem conclusionem arguit Johannes de Neapoli, secundo *Quodlibeto*, q. 6, ubi sic dicit: Si anima Petri uniretur materie Pauli, vel lapidis, esset idem Petrus numero qui fuit. Quod potest sic probari: Existente eadem forma numero, et eadem materia, est idem compositum numero. Sed sic est in proposito. Ergo, etc. Major patet de se: quia, sicut entitas realis compositi dependet intrinsicè et essentialiter ex sola entitate materie et forme, sic et unitas numeralis ex unitate numerali. Minor etiam, quantum ad unam partem, supponitur, scilicet quod sit eadem forma. Sed quantum ad aliam, declaratur. Ad cujus evidentiam, sciendum est quod duplex unitas attribuitur materie. Una (z) intrinsicè et essentialis; et illa (6) est potentia quædam, de genere substantie; et, quantum ad talem unitatem, dicitur esse una materia omnium generabilium et corruptibilium, seu invicem transmutabilium, ut patet in 1. *de Generatione*. Et alia est superveniens, scilicet unitas actualis. Et hæc est etiam duplex: quia quædam est substantialis, quam scilicet habet a forma substantiali, ratione cujus dicitur esse una materia in uno composito; et quædam est actualis accidentalis, quam habet a quantitate dimensionis, secundum quam dicitur esse una materia generati et corrupti, quia forme varium succedunt sibi in eadem parte materie, materia autem partialitatem habet a quantitate dimensionis. Sed constat quod, si anima Petri uniretur materie lapidis, vel Pauli, esset eadem materia quæ prius existit sub forma Petri (γ), primo modo identitatis, et secundo. Ad unitatem autem numeralem compositi iste duæ unitates materie sufficiunt; nec requiritur tertia. Quod probatur dupliciter. Primo, quia plures partes materie quantitative distincte possunt concurrere et de facto concurrunt ad unum numero: ut patet de diversis partibus materie elementorum concurrentibus ad generationem mixti, quod est unum numero; et de materia cibi et cibati, quæ, post nutritionem, sunt in nutrito, quod est unum numero. Secundo: quia, si aliqua mulier de carnibus humanis nutrireth, sic quod materia fetus fuisset sub forma substantiali alterius hominis, et tandem proles continua de humanis carnibus vinceretur, constat quod in resurrectione finali materia talis proles esset sub formis illorum hominum quo-

(x) nutriatur. — nutritur Pr.

(6) differt. — differunt Pr.

(z) Unit. — scilicet Pr.

(6) et illa. — sed prima Pr.

(γ) cum præexistente. — Ad. Pr.

rum carnibus talis proles nutrita fuisset, et mater ejus pasta; et, per consequens, sub forma talis prolis esset alia materia isto modo ab ea que prius fuit sub eadem forma; et tamen talis esset idem homo in numero qui prius fuit, propter unitatem numeralem forme substantialis, et propter unitatem materie numeralem primam et secundam de tribus predictis, quamvis deesset tertia. Ergo predictæ duæ sufficiunt ad unitatem numeralem compositi; nec requiritur tertia. Per quod etiam patet conclusio principalis, quod, si anima alicujus hominis desineret esse in tota sua materia, et de novo uniretur toti alicui alteri materie, esset idem homo numero qui fuit.

Secundo principaliter. Quia hanc secundam conclusionem, cum predicta secunda ratione, expresse ponit Augustinus, 22. *de Civitate Dei*, cap. 20, ubi agens de resurrectione finali, querit de illis qui vescuuntur carnibus humanis, sub qua forma resurgent; et respondet quod sub forma illorum quorum fuerunt illæ carnes, et materiam in tali homine Deus aliunde supplebit, et nihilominus erit idem homo numero qui fuit. Unde dicit sic: *Queritur, cum caro hominis mortui etiam sit viventis caro, cui potius eorum in resurrectione reddatur? utpote quispiam confectus fame, atque compulsus, rescatur cadaveribus hominum. Et subdit responsionem, paucis interpositis: Reddetur caro illi homini, cujus caro humana primitus esse cœpit. Sua vero illi (x) quem fames exinanivit, ab eo qui potest etiam exhalata revocare, reddetur. Et subdit (quod est ad propositum): Quamvis etsi omnibus perisset modis, nec ulla ejus materies in ullis nature latebris remansisset, unde vellet, eam repararet Omnipotens.*

Tertio. Quia hæc videtur esse sententia Johannis Baptistæ, Matth. 3 (v. 9): *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham.* Ex quo videtur quod animæ filiorum Abraham, qui jam mortui erant, possent uniri materie lapidis; et essent nihilominus iidem filii Abraham, qui fuerant. Unde dicit Thomas, super Matthæum, predicta verba exponens: « In quo Dei indicat potentiam, ut qui de nihilo cuncta fecerat, possit et saxa de durissimis populum procreare. Prima enim sunt rudimenta fidei, credere Deum posse quicquid vellet (z). » — Hæc Johannes.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

(x) vero illi. — illi vero Pr.

(z) Hæc non reperiuntur in Commento S. Thomæ in Matthæum, bene vero in Catena aurea. Prima verba, *In quo Dei*, etc., desumuntur ex Hieronymo (sup. Matth.); ultimi vero, *Prima enim sunt*, etc., ex Glossa afferuntur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. *Ad argumenta Durandi.* — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum Durandi, dicitur primo, quod utique verum est quod materia prima, in sui pura essentia considerata, non includit intrinsece actualitatem alicujus decem prædicamentorum, sed potentiam substantialem, et essentiam potentialem ad recipiendum quamlibet talem, secundum tamen certum ordinem. — Dicitur secundo, quod materia prima, priusquam sit subjecta diversis formis, et considerata pro illo priori ut præcedit unionem sui ad formam, nullam habet partitionem, nec distinctionem actualem in se; nec una materia, aut pars materie ad aliam. Habet tamen ordinem ad diversas formas quibus potest subijci, et consequenter potentiam ad actualem distinctionem, et ad sui participationem, secundum numerum; ita quod, secundum diversas sui partes, subijciatur diversis formis unius rationis, et diversarum rationum. — Dicitur tertio, quod diversæ partes materie, postquam fuerunt sub diversis formis unius vel diversarum rationum, perpetuo retinent aliquem ordinem, vel inclinationem, vel proportionem, aut respectum, vel aliquam habitudinem ad formas sub quibus fuerunt, quem vel quam non habent ad formas quibus numquam informate fuerunt: sicut materia quæ fuit sub forma Adæ, habet aliquem respectum ad animam Adæ, quem non habet ad animam Christi, vel alterius, cujus numquam fuit pars. — Dicitur quarto, quod, licet una pars materie non habeat actualem distinctionem ab alia parte materie, nec actualem unitatem aut identitatem substantialem aut accidentalem ad seipsam, vel ad aliam, effective aut formaliter ex seipsa, sed ex efficiente et ex forma substantiali aut accidentali, tamen talis distinctio et unitas materie ad materiam non solum dependet ex efficiente effective, et a forma formaliter, verum etiam subjective et fundamentaliter ex ipsa materia, sicut ceteræ relationes dependent ex fundamento et subiecto et termino. Et ideo ad identitatem talis respectus non sufficit unitas (x) forme, nisi cum hoc sit unitas subiecti et materie. Non ergo sequitur quod, stante unitate forme substantialis, omnis materia sibi subjecta sit eadem, nec quod omnes materie unitæ anime Petri simul vel successive sint eadem materia. — Dicitur quinto, quod illa prima ratio

(x) unitas. — veritas Pr.

seipsam destruit. Quia, si ex identitate forme sequitur identitas materiæ, ergo, per oppositum, ex diversitate formarum sequitur diversitas materiæ eis subiectarum. Cum ergo materia primo subiecta animæ Petri, et materia secundo subiecta eidem, maneat sub distinctis formis substantialibus et accidentalibus (quia materia que desit esse sub anima Petri, non est annihilata, sed informatur aliqua alia forma substantiali distincta ab anima Petri), ergo illæ materiæ sunt actualiter distinctæ; et, ex alia parte, secundum te, sunt actualiter indistinctæ; ergo simul sunt actualiter distinctæ et indistinctæ; quod est contradictio.

De predictis Petrus de Palude (dist. 44, q. 1) sic dicit: « Potest dici quod materia que est sub una forma, distinguitur essentialiter ab illa que est sub alia. Ex quo autem semel distincta est, per quascunque formas transeat, distincta remanet (x), si redeat ad eandem formam. Unde, si anima Petri uniatur materiæ Pauli, que remansit in ossibus vel reliquiis Pauli, propter unitatem formæ, bene materia que nunc est Petri, habet eandem actualitatem numero quam materia olim Petri habuit. Sed, loquendo de essentia materiæ in se, non est id ipsum quod illa est, nec quod illa fuit. Quia materia que fuit Petri, secundum entitatem suam potentialem, aut corrupta est, aut remansit. Non potest dici quod sit corrupta: quia est incorruptibilis; et preterea, si esset corrupta, materia succedens non esset illa, quia ens non est non ens. Si autem non est corrupta, sed sub forma ossis vel reliquiarum ejus, non potest dici quod materia succedens sit id ipsum quod materia precedens, cum distinguantur formis; nec quod sit aliquid quod illa fuit, quia ipsa est id ipsum quod fuit, quia nunquam corrupta fuit. Propter quod restat quod ista materia est materia Petri. Illa autem non est materia Petri, sed fuit: quia non informatur nunc anima Petri, sed prius. Propter quod Petrus non est ille qui fuit: quia non habet partem essentialem quam prius habuit, sed habet aliquam quam nunquam habuit. — Si quis ergo velit sustinere communem opinionem, potest dicere ad primam rationem Durandi, quod materia habet diversitatem a forma, modo quo dictum est. Quia sicut quantitas, si migraret de subiecto in subiectum, daret idem esse quantum diversis, que tamen haberent diversa esse substantialia; contra autem, si unum subiectum transiret de quantitate in quantitatem, haberet diversa esse quanta, et unum esse substantiale, quod convertitur cum ente. Sed quæ simul habent unam quantitatem, sunt una substantia perfecta; quæ simul duas, diversas. Sic est de materia respectu forme: quia, transiens de forma in formam, retinet unitatem essentialem potentialem, recipiens diversas actuales. Unde sunt

due unitates in composito, quamvis non sit nisi una forma. Et hoc est signum quod hanc unitatem non habet materia a composito, alias non esset nisi una unitas materiæ et formæ, sicut unitas numeralis in uno quanto non est nisi una omnium una quantitate affectorum (z). — Ulterius, si forma migraret de materia in materiam, daret idem esse accidentale materiæ habentibus diversam essentiam. Sed quando actu due formæ informant materiam, faciunt (b) ipsam distinctam; et quando una forma multas materias, facit omnes unam actu. — Quod autem materia non sit *quid*, vel *quale* (γ), vel *quantum*, etc., — verum est actu. Sed potentia, sic est *quid*, quod non est aliud: quia est in genere substantiæ; et inde est quod primo actualatur per *quid*, et non per *quale* vel *quantum*, etc. » — Hæc Petrus, et bene.

Ad secundum dicit Petrus (ibid.), quod « nutritum mutatur substantialiter: quia nutritio est mutatio substantialis, non accidentalis; unde alimentum nutrit in quantum *quid*; quia ex non substantiis non fit substantia, nec ex non quantis quantum. Ergo, cum nutritio sit propter restaurationem perditæ, substantia perditur, et restauratur: non autem tota, nec pars que est forma, nec pars que est materia; sed pars partis. Aliter tamen perditur, et aliter restauratur. Nam, cum ex resolutione nutriti contingat animalia generari (quod non est sine materia), potest dici quod illa materia que per perditionem et consumptionem humidi a calido consumitur, est alia materia actualiter ab illa qua remanet; quia distinguitur per formam ejus quod generatur inde. Materia vero que additur, cum sit sub eadem forma, non distinguitur ab illa cui additur. Et sic in additione fit mutatio secundum partem essentialem materialem, non actualem, sed potentialem; quia, facta additione, est potentia facta in toto ad maiorem quantitatem per augmentum, que prius non erat. Quando autem dicitur quod, si materia haberet de se unitatem, refineret eam; — dicendum quod materia unitatem essentialem habet de se, et a se. Sed omnis distinctio est per actum. Unde non distinguitur una materia ab alia, nisi quando est sub alia forma. Propter quod illa que additur sub eadem forma, nullo modo distinguitur; sed illa que separatur, distinguitur, quia fit sub alia forma, sive separatur quanta (quod magis videtur), sive non quanta, per hoc quod est sub quantitate, quando actio primo eam attingit ». — Hæc Petrus, et concorditer dictis sancti Thomæ.

(x) nisi una unitas materiæ et formæ, sicut unitas numeralis in uno quanto non est nisi una omnium una quantitate affectorum. — sicut unitas numeralis in uno quanto unitas secundum formam non est nisi una omnium una quantitate affectorum Pr.

(b) faciunt. — faciunt Pr.

(γ) quale. — quare Pr.

(α) remanet. — remaneat Pr.

Unde sanctus Thomas sententialiter solvit illud argumentum in multis locis. Nam, 1 p., q. 119, art. 1, arguit sic, quinto loco: « Si alimentum in veritatem (z) humane nature transiret, nihil est in homine quod non posset recedere et reparari; quia id quod in homine generatur ex alimento, et recedere et reparari potest. Si ergo diu viveret, sequeretur quod nihil quod in eo materialiter fuit in principio sue generationis, finaliter remaneret in ipso; et sic non esset idem homo per totam vitam, cum ad hoc quod aliquid sit idem numero, requiratur identitas materie. Hoc autem est inconveniens. Non ergo alimentum transit in veritatem (z) humane nature. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, sicut Philosophus dicit in 1. de Generatione (l. c. 39), quando aliqua materia per se convertitur in ignem, dicitur ignis generari; quando autem convertitur in ignem preexistentem, dicitur ignis nutrir. Unde, si tota materia simul amittat speciem ignis, et alia materia convertatur in ignem, erit alius ignis numero. Si vero, paulatim combusto uno ligno, aliud substituatur, et sic deinceps, quousque omnino prima ligna consumantur, semper remanet idem ignis numero; quia semper illud quod additur, transit in preexistentem. Et similiter est intelligendum in corporibus viventibus, in quibus ex nutrimento restauratur id quod per calorem naturalem consumitur (z). » — Hæc ille.

Simile ponit, 2. Sentent., dist. 30, q. 2, art. 1, in solutione quarti argumenti, dicens: « Cum illud quod advenit ex alimento aggeneratum (z), sit permixtum ei quod prius erat, et simpliciter unum effectum ex ambobus sit (z), semper fit deperditio in utroque proportionabiliter. Unde oportet quod de utroque remaneat proportionabiliter. Et ideo nunquam contingit quod (z) totum illud quod prius erat, abscedat, ita quod nihil prioris materie remaneat; sed semper manet aliquid; et illud quod advenit, est unum cum eo quod preerat, effectum. Et ideo eadem materia et idem individuum manet per totam vitam. Sicut patet etiam in igne, qui nutritur lignis: semper enim manet idem numero ignis, quamvis quibusdam lignis apposis, alia consumantur; quia illud quod advenit, semper efficitur unum cum eo quod preerat. Et magis esset simile, si fieret commixtio secundum totum, sicut est in nutrimento. Secus autem esset, si ex materia adveniente generaretur ignis vel caro seorsum. Tunc enim, propter omnimodam diversitatem materie, esset diversitas secundum numerum. » — Hæc ille.

Simile dicit, octavo Quodlibeto, art. 5, in solutione secundi. « Veritas, inquit, humane nature, et cujuslibet alterius rei, est a specie. Et ideo, cum illud quod est in homine maneat secundum speciem, quamvis non maneat secundum materiam, nihilominus veritas humane nature dicitur. Nec desinit homio idem esse numero, propter mutationem quæ est secundum materiam; quia non tota materia simul a forma abstrahitur, ut alia tota simul formam accipiat (hoc enim esset generatio et corruptio; sicut si totus unus ignis extingueretur, et alius totus accenderetur); sed aliqua pars materie consumitur, et aliqua in locum ejus subrogatur, quæ efficitur una materia cum præcedenti vel præexistenti, per hoc quod ei adjungitur ad suscipiendum eandem formam humani (z) corporis; sicut si unum lignum ignis consumat (z), et aliud loco ejus apponatur, erit idem ignis numero. » — Hæc ille.

Ex quibus patet, primo, quod nullo modo est simile de aietate materie quæ advenit nutrito, et de aietate materie quæ adveniret animæ Petri in casu nostro: nam, in primo casu, semper remanet una materia secundum numerum, aliquam unitate et identitate, non autem in secundo casu; et ideo in secundo casu non esset idem individuum numero sicut in primo. Si autem queratur utrum in primo casu sit unum et idem individuum numero simpliciter, — dicendum, mihi videtur, quod est idem simpliciter quoad formam; non autem est idem omnino simpliciter quantum ad materiam; potissime, cum Philosophus dicat, 1. de Generatione (l. c. 33 et seq.) quod nutriti quælibet pars manet eadem secundum speciem, non autem manet eadem secundum materiam. Quis enim nesciat quod materie animalis nutrimento utentis, per calorem naturalem aliquid deperdentis, et per virtutem nutritivam aliquid restaurantis, non habet tantam unitatem vel identitatem a principio usque ad finem, quantum habet materia corporum celestium, nec quantum habebit materia corporum glorificatorum? Et ideo non oportet querere tantam unitatem aut identitatem secundum numerum in generabilibus et corruptibilibus, in quibus est continua deperditio et acquisitio materie, quanta est in corporibus celestibus aut in substantiis separatis.

Ad tertium dicitur primo, quod rationes opposite partis sunt probabiliores. Variato enim aliquo principiorum essentialium speciei vel individui intrinsecorum, necesse est speciem vel individuum intrinseco variari, nec esse omnino idem quod prius. De hoc sapienter Thomas, 1 p., q. 119, art. 1, sic dicit: « Secundum Philosophum, 2. Metaphysicæ (l. c. 4), hoc modo se habet unumquodque ad veritatem, sicut se habet ad esse. Illud ergo parti-

(z) veritatem. — virtutem Pr.

(z) nutritum. — virtutem Pr.

(z) consumitur. — consumitur Pr.

(z) aggeneratum. — aggeneratum Pr.

(z) sit. — sit Pr.

(z) quod. — quod Pr.

(z) humum. — humum Pr.

(z) consumat. — consumatur Pr.

net ad veritatem naturæ alienius, quod est de constitutione naturæ ipsius. Sed natura potest considerari dupliciter: uno modo, in communi, secundum rationem speciei; alio modo, secundum quod est in hoc individuo. Ad veritatem ergo naturæ aliqujus in communi consideratæ, pertinet forma et materia in communi accepta; ad veritatem autem naturæ in hoc particulari consideratæ, pertinet materia individualis signata (x), et forma per huiusmodi materiam individuata. Sicut de veritate naturæ humanæ in communi, est anima et corpus; sed de veritate naturæ humanæ in Petró, vel Martino, est hæc anima et hoc corpus. » — Hæc ille.

Dicitur secundo quod improbatio illarum rationum non sufficit, quia fundatur in hac falsa consequentia, scilicet: distinctio actualis numeralis unius materie ab alia materia non est sine forma, sed per formam; ergo ex unitate formæ sequitur unitas materie. Ista autem consequentia nullius est valoris. Tum quia unitas actualis materie ad materiam, licet quoad actualitatem sit a (z) forma, et in genere causæ formalis, tamen talis unitas, quoad sum materiale, et in genere causæ materialis, est ab ipsa materia; et ideo sola unitas formæ non infert unitatem materie ad materiam, nisi simul cum hoc esse huius sit illius. Tum quia, etsi omnes materie que simul actuantur eadem forma substantiali, constituent unam materiam numero ex illis resultantem, non tamen oportet quod illa que noviter advenit, sit idipsum quod illa que præfuit, nec quod materia digiti sit materia pedis. Tum quia, si instantes materie successive fuerint sub eadem forma, et postea sunt sub diversis formis substantialibus, improbabile est dicere quod illa que ultimo est sub anima rationali, sit una et eadem secundum numerum cum aliis tribus que sunt sub aliis formis, cum distinctio formarum necessario arguat distinctionem materialium eis subiectarum. Et propter multa alia prædicta consequentia non valet. Unde ad distinctionem materialium sufficit distinctio formarum quibus simul actualiter informantur; sed ad actualem unitatem materialium non sufficit unitas formæ substantialis, qua ille materie successive informatæ fuerint. Conceditur tamen quod, sicut materie simul subiectæ distinctis formis sunt (y) actualiter distinctæ, ita materie simul subiectæ eidem formæ sunt una materia, vel constituent unam materiam.

Ad quantum dicitur quod ille difficultates, licet evaderentur per illam viam, non tamen sine multo inconvenienti; et, dum evaderent unam, inciderent in multas alias difficiliore. Opinio autem communis sancti Thomæ evadit illas difficultates sine quo-

cinque inconvenienti, ut diffuse patet per ipsum, dist. 44, q. 1, art. 2, in solutione quartæ quæstionculæ. Et ad hoc forte aliquid inferius dicitur.

II. Ad argumenta Johannis de Neapoli. —

Ad argumenta Johannis de Neapoli contra eandem conclusionem, patet responsio per prædicta. Sed, ex abundantia, dicitur ad primum, negando minorem principalem. Quia, in illo casu, non esset eadem materia secundum numerum sub forma Petri, que prius erat sub eadem. Nec valet probatio ejus. Quia, in illo casu, materia secundo adveniens non haberet aliquam frum unitatum quas arguens ponit, in ordine ad materiam que præfuit sub forma Petri. Non quidem primam. Quia, licet omnium generabilium et corruptibilium sit una materia unitate essentiali potentiali secundum rationem, non tamen secundum numerum. Aliud est enim loqui de materia prima absolute, aliud de materia prima huius individui; secundum quod ostendit sanctus Thomas, 2. *Sentent.*, dist. 30, q. 2, art. 1 (x), contra quosdam dicentes quod materia equaliter se habet ad recipiendum omnes quantitates, sicut ad recipiendum omnes formas, et quod quantumcumque parum sit de materia prima in quovis parvo corpore, potest recipere quantumlibet quantitatem, adeo quod ex grano milli posset fieri totus mundus, etc. Contra istos, inquam, inter alia, sic dicit: « Quando loquimur de materia existente in hac re, jam dimittimus considerationem materie absolute. Non enim potest accipi illud materie quod est in hac re, nisi secundum quod est divisum ab illa parte materie que est in alia re. Divisio autem non accedit materie, nisi secundum quod consideratur sub dimensionibus saltem interminatis: quia, remota quantitate, ut 1. *Physicorum* (l. c. 45) dicitur, substantia erit indivisibilis. Unde consideratio materie huius rei est consideratio materie non absolute, sed materie sub dimensione existentis. Unde non oportet ut quod convenit materie inquantum est absoluta et prima, conveniat materie existenti in hac re, prout accipitur in hac re existens: quia ex hoc receditur a consideratione primæ materie. Unde materia que est in hac re existens, non est in potentia ad totam quantitatem mundi, sed usque ad determinatum *quid*, quantum potest per rarefactionem consequi, etc. » — Hæc ille.

Dicitur secundo (z), quod, in illo casu, materia secundo adveniens formæ Petri non haberet secundam unitatem cum materia que primo subfuit eidem formæ, scilicet unitatem substantialem actualem: quia talis unitas non solum dependet a forma, immo a materia, ut sepe dictum est: et ideo,

(x) individualis signata. — individuum significata Pr.

(z) a. — Qm. Pr.

(y) sunt. — sine Pr.

x) ubi. — Ad. Pr.

(z) secundo. — quarto Pr.

variata materia, variatur talis unitas. Impossibile namque est illas materias esse idem vel unum essentialiter actualiter, quæ sunt actu sub distinctis formis, et de quibus verificantur innumerabilia contradictoria. Sic autem est de materia primo subjecta formæ Petri, et de materia secundo adveniente, ut de se patet.

Ad secundum principaliter dicitur quod Augustinus non est illius opinionis quod possit esse idem homo secundum numerum, habens successive duas materias totaliter ab invicem distinctas, et in nullo communicantes; nec quod materia quæ est sub una forma, sit eadem numero unitate essentiali, substantiali aut accidentali, potenti vel actuali, cum materia quæ est sub alia forma; nec quod duo homines simul habeant eandem materiam; sicut habet dicere iste qui arguit. Sed vult quod idem homo secundum numerum potest habere duas materias successive secundum aliquam sui partem distinctas. De hoc sanctus Thomas, 4. Sentent. (x), dist. 44. q. 1, art. 2, q^{da} 4, ubi, tertio loco, arguit sic: « Non potest esse quod idem in diversis hominibus resurgat. Sed potest esse quod aliquid fuerit (β) de veritate nature humane in diversis hominibus: sicut si aliquis carnibus humanis vescatur (γ), quæ in substantiam ejus transeant (δ). Ergo non resurget in aliquo quidquid fuit de veritate humane nature in ipso. — (Arg. 4) Si dicatur quod non quidquid est in carnibus comestis, est de veritate humane nature; et ita aliquid eorum poterit resurgere in primo, et aliquid in secundo; — Contra: De veritate humane nature maxime videtur esse illud quod a parentibus trahitur. Sed, si aliquis non comedens nisi carnes humanas filium generaret, oportet quod illud quod filius a parentibus trahit, fuerit de carnibus aliorum hominum quas pater suus comedit; quia semen est de superfluo alimenti, ut probat Philosophus in libro de Animalibus (1, de Gener. animal., cap. 18). Ergo illud quod est de veritate humane nature in isto puero, fuit etiam de veritate humane nature in aliis hominibus, quorum carnes pater comedit. — (Arg. 5). Si dicatur quod illud quod erat de veritate humane nature in carnibus hominum comestorum, non transit in semen, sed illud quod erat ibi de veritate humane nature non existens; — Contra. Probatur quod aliquis cibetur solis embryis, in quibus nihil esse videtur quod non sit de veritate humane nature, quia totum quod est in eis, a parentibus trahitur. Si ergo superfluitas cibi convertitur in semen, oportet quod illud quod fuit de veritate humane nature in embryis, qui etiam ad resurrectionem pertinent,

postquam animam rationalem perceperunt, sit (α) etiam de veritate humane nature in puero qui ex tali semine generatur; et sic, cum non possit idem resurgere in duobus, non poterit resurgere in quolibet quidquid fuit de veritate humane nature in ipso. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, secundum primam opinionem, facile est ad hoc respondere: quia carnes comestæ, secundum illam opinionem, numquam sunt de veritate humane nature in comedente; fuerunt autem de veritate humane nature in eo cujus carnes comeduntur; et ita resurgent in primo, et non in secundo. Sed, secundum secundam opinionem et tertiam, unusquisque in illo resurget, in quo magis accessit ad perfectam participationem virtutis speciei. Et, si æqualiter in utroque accesserit, resurget in illo in quo primo fuit; quia in eo primo habuit ordinem ad resurrectionem ex conjunctione ad animam rationalem illius hominis. Et ideo, si in carnibus comestis (β) fuit aliqua superfluitas quæ non pertineret ad veritatem humane nature in primo, resurgere poterit in secundo; alias illud quod pertinebat ad veritatem humane nature in primo, resurget in eo, et non in secundo; sed in secundo, loco ejus, sumetur vel aliquid de eo quod ex aliis cibis in carnem secundi conversum est, vel, si nullo cibo unquam pastus fuisset nisi (γ) carnibus humanis, divina virtus aliunde suppleret, quantum indigetur ad perfectionem quantitatis, sicut supplet in illis qui ante perfectam ætatem decedunt. Nec per hoc prejudicatur identitati in numero, sicut nec prejudicatur per hoc quod partes secundum materiam fluunt et refluunt. — Ad quartum, dicendum quod, secundum primam opinionem, facile est solvere: quia (δ) ponit quod semen non est ex superfluo alimenti; unde carnes comestæ non transeunt in semen ex quo puer generatur. Sed, secundum alias duas opiniones, dicendum est quod non est possibile quod totum quod fuit in carnibus comestis (ε), convertatur in semen; quia post multam depurationem (ζ) cibi pervenitur (η) ad decoctionem seminis, quod est superfluitas ultimi cibi. Illud autem quod de carnibus comestis in semen convertitur, magis pertinet ad veritatem humane nature in eo qui ex semine generatur, quam in illo ex cujus carnibus semen est generatum. Et ideo, secundum rationem prius datam, hoc quod in semen conversum est, resurget in eo qui ex semine nascitur, et residuum nature resurget in illo ex cujus carnibus comestis semen est

(α) sit. — sic Pr.

(β) comestis. — comesti Pr.

(γ) in. — Ad. Pr.

(δ) quia. — quod Pr.

(ε) comestis. — comesti Pr.

(ζ) depurationem. — defectionem Pr.

(η) pervenitur. — perveniatur Pr.

(α) 4. Sentent. — Om. Pr.

(β) fuerit. — fuit Pr.

(γ) vescatur. — vescatur Pr.

(δ) transeant. — transeunt Pr.

generatum. — Ad quintum, dicendum quod embryo non pertinet ad resurrectionem ante animationem per animam rationalem, in quo statu puero multum advenit supra substantiam seminis de substantia nutriti, quia puer in utero matris nutritur. Et ideo, si aliquis embryus vescatur, et ex superfluo illius cibi generetur aliquis, illud quod erat in substantia seminis, resurget in eo qui ex semine generatur; nisi in illo contineretur aliquid quod fuisset de substantia seminis in illis ex quorum carnibus comestis semen generatum est, quia hoc resurget in primo, et non in secundo; residuum autem carniū comestiarum, quod non est conversum in semen, constat quod resurget in primo; utrique divina potentia supplente quod deest. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod in nullo casu anima resurgentis unietur materie totaliter novæ, quin in corpore sumpto aliquid precedentis materie remaneat. Illud autem quod divina virtute supplētur, faciet unum cum priori materia; et sic erit idem corpus quod prius, aliquali unitate, etsi non omnimoda.

Ad tertium dicitur quod, in illo dicto Johannis Baptiste, ly *suscitare* non sumitur pro resuscitare eo modo quo loquimur, scilicet de resurrectione mortuorum, sed pro creare vel generare: ut sit sensus, quod Deus potest ex lapidibus creare novum populum, qui pertineat ad filios Abraham spirituales; vel etiam carnales, puta si lapides converteret in panes, ex quibus comestis a Judeis generaretur semen, quo Judeus gigneret (α) filios; tunc enim ad litteram ex lapidibus generarentur novi filii Abraham. Non autem loquitur de resuscitatione filiorum Abraham premortuorum. Ideo argumentum non est ad propositum. Quod etiam (β) patet per expositionem Hieronymi in arguendo adductam, in qua dicitur quod qui de nihilo cuncta fecerat, posset de saxis durissimis (γ) populum procreare. Unde arguens videtur paralogizare (δ) sophismate equivocationis.

Ad argumentum contra questionem (ε), respondet sanctus Thomas, distinctione præsentis, q. 1, art. 1, q. 1, in solutione tertii, dicens: « Illud quod intelligitur in materia ante formam, remanet in materia post corruptionem: quia, remoto posteriori, adhuc potest remanere prius. Oportet autem, ut Commentator dicit, in 1. *Physicorum* (com. 63), et in libro de *Substantia orbis* (cap. 1), in materia generabilium ante formam substantialem intelligere dimensiones non terminatas, secundum quas attenditur materie divisio, ut diversas formas in diversis partibus recipere possit; et, post separationem forme substantialis a materia, adhuc ille dimen-

siones manent eadem. Et sic materia sub illis dimensionibus existens, quaecumque formam accipiat, habet maiorem identitatem ad id quod ex ea generatum fuerat, quam alia pars materie sub quacumque forma existens. Et sic eadem materia ad corpus humanum reparandum reducetur, quæ prius ejus materia fuit. » — Hæc ille. — Verumtamen positionem (α) illam de dimensionibus interminatis precedentibus formam in materia, et remanentibus in materia post recessum forme substantialis, in suis ultimis determinationibus reprobavit. Ideo aliter dicendum est: quod scilicet materia quæ semel fuit sub forma Petri, et fuit pars Petri, aliquam habitudinem habet ad Petrum, et ad animam (ε) Petri, quam non habet ad alias formas sub quibus nunquam fuit, et ad alia composita quorum nunquam fuit pars.

Et hæc de questione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

QUÆSTIO II.

UTRUM CORPORA SANCTORUM POST RESURRECTIONEM ERUNT IMPASSIBILIA

RERUM, circa quadragesimamquartam distinctionem, quaeritur: Utrum corpora sanctorum post resurrectionem erunt impassibilia.

Et arguitur quod non. Omne enim mortale, est passibile. Sed homo, post resurrectionem, erit animal rationale mortale: hæc enim est definitio hominis, quæ nunquam ab eo separabitur. Ergo corpus erit passibile.

In oppositum arguitur. Quia omne passibile est corruptibile; quia *passio magis (γ) facta abicit a substantia (δ)*. *Topicorum*, cap. 2). Sed corpora sanctorum, post resurrectionem, erunt incorruptibilia, ut dicitur, 1. *Corint.* 15 (v. 42): *Seminatur in corruptione, surget in incorruptionem*. Ergo erunt impassibilia.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

(α) positionem. — posset Pr.

(β) et. — Ad. Pr.

(γ) magis. — arguitur Pr.

(α) gigneret. — gignet Pr.

(β) Quod etiam. — et quod Pr.

(γ) durissimis. — durissimis Pr.

(δ) paralogizare. — paralogizantem Pr.

(ε) questionem. — conclusionem Pr.